INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLVI.

A DIE VII. APRILIS VSQVE AD DIEM XIV. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Inest Quaestionum de Harpocrationis aetate auctarium. Scr. G. Bernhardy.

HALÆ

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

CAROLVS GEORGIVS BRVNS

CVM SENATV

S. D.

CIVIBUS SUIS.

Suasit communio studiorum Graecaeque humanitatis necessitudo, quae cum iuventutem alat, tum aetatem adultam inter voluntates diversissimas solatur ac suaviter oblectat, ut quaestionem ab collega defuncto nuper inchoatam renovaremus et auctario pro finibus huius prooemii suppleremus. Quaestionem dicimus de constituenda *Harpocrationis* lexicographi aetate, levem illam et exilem, si seorsum tractetur vel cum aliorum disputationibus de viris principibus artis grammaticae comparetur, at satis fructuosam et investigatione dignam, si cum interiore historia fatisque Graecae eruditionis eam iunctam esse recordamur. Sed quorsum istae coniecturae de Harpocrationis temporibus spectent, ut melius discatur, consilium et ordinem studiorum paulisper remetiri iuvat, quo *Meierus* olim ad argumentum minus tritum fuerit deductus. Magnam autem partem prolusionum academicarum inde ab a. 1836. huic finitimaeque materiae consecravit. Causam igitur et opportunitatem attulit illi mediocris oratio, quam Andocides fertur contra Alcibiadem edidisse, dudum a nonnullis criticis addubitatam vel ad alium quempiam auctorem translatam. Certissimis enim rationibus, praesertim historici generis et ex antiquitatum doctrina petitis, postquam labefactarat, sic ut alienam ab Andocidis persona temporibusque esse constaret, coepit etiam fidem grammaticorum circumspicere, numqua suspicionis pars ex illorum silentio vocibusve manifestis posset

deprehendi. Hinc natae quaestiones diligentissimae de Lexicis Rhetoricis et de canone decem oratorum, quem sub Augusti principatum institui coeptum inde ab Hadriano docet invaluisse; sed intentissimo labore reliquias Lexicorum Rhetoricorum, de quorum originibus et compositione pauci quaesiverant, nemo scienter et plenis copiis expedierat, ita recensuit et inter se comparando excussit, ut aliis aditum pararet ad obscuram disciplinam et futuri successores firma habituri sint fundamenta quibus innitantur. Tum cursus totius disceptationis tulit ut idem etiam in Harpocrationem incideret, qui duabus in glossis orationem istam sub Andocidis nomine citra notas fraudis ut solet criticas apposuit; quamquam addubitari licebat num duplex testimonium quemadmodum fit per interpolationem accessisset. Iam digessit Meierus indicia temporum in illius lexico disseminata, calculisque subductis animadvertit ea vix Didymi memoriam sive Tiberii principatum excedere, nullum autem de tot nobilibus grammaticis qui secundo post Christum saeculo floruerant appellari; quo minus temere iudicaturum, qui sicubi nomina hominum Tiberio supparium recurrant, ab industria docti lectoris ea repetere velit. Porro fundus lexici non e Didymi copiis, cui plurimum debent interpretes vetusti scriptorum classicorum et antiquitatum Graecarum, exstructus ei videbatur, sed ab aequali quodam grammatico profectus vel quicunque paulo post Didymum vixisset. Tandem nupera commentatione locos exhibuit universos, in quibus lexicographus significationes verborum ac formulas dicendique consuetudinem suis temporibus pervulgatam ab oratorum Atticorum aetate distinguit et priscis institutis opponit; nec quicquam inesse sibi persuasit, quod primordiis lexici repugnet. Dicit locutiones huiusmodi, **τὸ καθ' ἡμᾶς** vel **τὸ ἐν τῷ βίῳ λεγόμενον, ὡς ἐν τῇ συνηθείᾳ λέγομεν, ὃ νῦν καλοῦσιν**, alia; quamquam explicationes additae produnt vocabula sordida vel noviciae fabricae, **θεώρετρα, σωματέμπορος, σφραγιδοφυλάκια.**

Haec praefati postquam statum quaestionis designavimus, filum ubi cessavit commode resumemus cum observationum auctario. Sed manum iniiciunt osores antiquitatis aliquammulti, qui stomachabundi nolint res frivolas usque molesta cum diligentia retractari, sed magnas et luculentas disputationes exposcant eleganti doctrina et cum ingenii laude deducendas, unde gustum interioris sapientiae fructusque tanti sudoris reportent minus operose. Hem, vestram fidem, inquit, et intemperantiam, philologi! quippe qui novas et infinitas dubitationes de magistelli nescio cuius aetate non omittatis excitare, gravissimas autem quaestiones ac dudum multis expetitas post tot saecula recusetis. At enim *fabri fabrilia tractant,* ac propemodum bonis hominibus licet prudentem Platonis vocem occinere: **Εὐδαίμων εἶ ὦ Καλλίκλεις, ὅτι τὰ μεγάλα μεμύησαι πρὶν τὰ σμικρά· ἐγὼ δ' οὐκ ᾤμην θεμιτὸν εἶναι.** Rem igitur nostram agamus; ac nequis miretur de temporibus Harpocrationis denuo quaeri, quae vir eruditus verisimillimis rationibus ad primos Caesares videatur rettulisse, hu-

ius ab iudicio plane discrepat novissimus editor, vir admodum cautus et in hoc litterarum campo si quis alius exercitatus. Is cum Harpocrationem in privatis Graecorum antiquitatibus multum ab Athenaeo profecisse sibi persuaderet, eodem illum tempore, hoc est, imperante Commodo sive sub initia saeculi tertii scripsisse conclusit Praef. p. XXI. Sed tali ratiocinationi primum refragatur fides locorum ex Athenaei hortulis derivatorum perexigua, quos ab lectorum sedulitate esse profectos infra demonstrabitur; deinde quis animum induxerit propter appellationes quasdam meretricum et poculorum unum Athenaeum eumque nomine celato usurpari, de tot autem lexicis rhetoricis et conditoribus apparatus sophistici vel enarratoribus antiquitatum Atticarum, quorum saeculum secundum fuit feracissimum, inter tantas tamque illustres quaestiones nullum usurpari? horum enim ne levissimam quidem memoriam videmus apud Harpocrationem extare. Verumtamen redeat unde deflexit oratio nostra. Harpocrationis opusculum, resectis testibus suspectis, nullum prodit auctorem, qui Tiberio principe sit recentior; sed parum tritas habuerit litterulas Graecae philologiae, qui hac usus observatione contendat Harpocrationem novissimo suorum testium non multo iuniorem fuisse. Nam ut hoc utamur, in scrinia sui scilicet aequalis Didymi, cui plus ille debet quam prima facies ostentat, protinus eum involasse num credibile videtur, sic ut fontis locupletissimi copias aut in brevitatem cogeret aut exprimeret cum flosculis alienis mixtas? Atqui confectores lexicorum et commentariorum id propositum tenuerunt, ut fundum et instrumentum eruditionis probae, quam ab Alexandrinis magistris repetere solebant, novis amplificarent digestis et collecticii variorum saeculorum labores priscis thesauris astruerentur. Dixeris aedibus veteris aevi solidis et diligenter exstructis pergulas impositas, haud iniucundas et satis eleganter communem in usum ornatas, sed ut artificio temerario novella cum antiquis consocientur. Exemplis quidem si mos in promptu positus illustrari debet, non Stephanum Byzantium aut testem prae ceteris insignem Suidam advocabimus, sed in Scholiis Apollonii Rhodii subsistere libet, quorum de lineamentis summatim est explicatum in nuperis Commentariis litt. Graec. T. II. p. 312. Ecce praeclaros doctrinae fabularis auctores, e litteratissimis Alexandrinorum, quorum nullus item ut apud Harpocrationem infra Tiberii dominatum extiterat, tanquam opus tessellatum contextos; huic autem purpurae recentior manus pannum ex interpretum et technicorum praeceptis ea mente circumdedit, ut corpus quam plenissimum lectoribus poetae suppeditaret. Ergo magnum temporis intervallum eos, quorum in lexica vel commentarios amplissimi apparatus sunt diffusi, ab ultimis ipsorum testibus dirimere solet, nec solis horum nominibus computationes saeculorum debent definiri. Sic potius existimandum, quo melioribus et antiquioribus praesidiis isti nitantur, eo praestantiores censeri, pretium tamen ac dignitatem lexicographorum quam aetatem citius e fontium vetustate diiudicari; nec sufficit ut

aut stamina tantum et elementa farraginis teneamus, aut scriptor lectissimis opibus usus ad ulteriora saecula retrahi possit, nisi constet integrum et ab manibus fraudulentis immunem mansisse. Huc enim accedit iniqua condicio lexicorum Graecorum et perturbatio: quae dum universo populo patent ac doctis indoctisque digitis cotidie teruntur, non modo diversissimas interpolationes et ludibria cuiusvis coloris experiuntur, sed pristinam etiam orationem deterrimis fraudibus videmus deformari variorumque accessionibus corrumpi. Similem vero labem etiam in Harpocrationem esse grassatam evincemus; eoque spectat auctarium observationum, quod epilogi vicem supra profitebamur nos exhibituros. Id ut efficeretur per operam editoris novissimi contigit, quam collega defunctus non inspexerat aut otio futuro reservavit.

Emendatores enim critico muneri pares duos nuper Harpocratio nactus est, postquam per tria saecula neglectus et interpolationibus omne genus obsitus iacuerat. Primus igitur *Bekkerus* reiectis Blancardi veterumque exemplarium sordibus scripturas codicum, quorum plurimos et praestantissimos quosque cognoverat, restituit, codices autem ubi deficerent, id quod iusto saepius accidit, usu rei criticae propriisque inventis adiutus orationem Graecam sic instauravit, ut lexicographus multis in partibus novam paene faciem ostentet. Itaque tutam viam et munitam tradidit viro de Graecis monumentis meritissimo, *Guil. Dindorfio*, qui paucis abhinc annis (Oxon. 1853.) recensionem Harpocrationis copiosissimam duobus tomis absolvit. Non ignorant autem litterarum Graecarum cultores, qui subsidiis scholiorum cognatisque grammaticis diligenter utantur, non modo largissimum instrumentum criticae factitandae Dindorfio deberi, quo purior et emendatior extitit oratio commentariorum, eorum praesertim qui poetarum et oratorum ad intelligentiam valent, sed ad fontes etiam sinceros, codicum ordines et aetates rimando, constanter eum aspirare, vetera noviciis, adulterina primitivis ut distinguantur et gradibus certis immutationes manus vetustissimae possint comprehendi. Similiter idem nec dissimili successu in Harpocratione versatus apparatum criticum auxit, supplevit et ad usum accommodate dispensavit, quo in negotio prudenter necessitatibus nostris consuluit, Epitomen repraesentans integram et a scriptura tralaticia seiunctam; deinde singulis in paginis Graecam orationem refingit et ad auctoritates fidissimas exigit tot mendis sublatis, non ut spicilegium sed messem plenam parari credas; neque dubitare sinunt eius *Addenda* quin post aliorum symbolas, nominatim *Sauppii*, longe plura damna potuerit indagare aut resarcire, si curis secundis scriptorem suum peragrasset. Interim copiis tantis provisum est ut qualibet suspicione mota quid a libris expectari petive queat intelligamus. Hactenus satis prospere cessit Harpocrationi, qui hodie scripturam aut illibatam aut fide librorum stabilitam recuperarit. Quid igitur? num lexicographi quicunque fuit laborem salvum et integrum, si quidem locos cor-

ruptelis affectos glossasque mutilatas excipimus, postliminio redisse putamus, ut manus prima plerumque possit agnosci? Critici sane non dubitanter annuunt: nos renuimus et negitamus Harpocrationem superesse germanum et saeculo Tiberiano dignum. At enim miro fortunae beneficio contigisse narrant, ut duplex aetatem tulerit editio, altera si minus numeris suis consummata, saltem ita locuples ut archetypi colorem statumque propemodum reddat, altera quam grammaticus aliquis ante mille amplius annos in compendium redegerit, Epitomes nomine pervulgata. Porro huius codices, etsi pauci supersint, multo quam operis integri tradunt esse meliores, amplioris vero lexici nullum, qui saeculi quarti decimi tempora superet; accedit quod Epitomen illam et antiquiorem et emendatius scriptam Photius et Suidas usurparunt ac paene totam in lexica sua receperunt, pleniorem autem editionem Byzantini homines silentio transmittunt. Verum longe gravius id videtur, quod editores toties coguntur ad lectiones Epitomae confugere; nec quisquam ignorat novissimam lexici faciem callide temperatam et ex utriusque editionis copiis esse conflatam. Mira profecto traduntur, praesertim cum nullum adsit Graecorum lexicon, cuius simul et epitomen et uberrimam compositionem teramus. Hanc igitur negotii critici condicionem operae fuerit recognoscere, priusquam de Harpocrationis opere decidatur.

Harpocrationem igitur tralaticium codices servarunt complures, sed recentium saeculorum iidemque negligentissime scripti vel potius mendis obruti foedissimis. Enimvero nusquam apparet manus emendatoris mediocriter periti: adeo circumfluunt illi vitiis et erroribus, quorum et color et multitudo tempus arguit tam a Graeci sermonis cognitione quam a studiis antiquitatis Atticae remotum. Notum est inter alia mirum piaculum *χίλια σοφὰ ὄντα* sub v. *Χιλιωθέντα*, ubi quod oportuit *χιλίας ὀφλόντα* Epitome. Saepius igitur omnes errant *φυλέτης* peccantes, ubi debuerant *δημότης* (vide Dind. in v. *Ἀγνοῦς*), aut compendia vocabulorum parum assequuntur, ut in *στρατιώτης* (v. *Ἀθηνόδωρος*), cum exarandum esset *στρατηγός*, ac ne nimii simus in mendis cumulandis, terminationes nominum propriorum, praesertim in afferendis auctoribus et libris (velut *Ἀθηνᾶν*, *Δημάρχῳ*, *Τιμάρχον* pro vetere scriptura *Ἀθηναῖοι*, *Δεινάρχῳ*, *Τιμοκράτους*) toties depravarunt, ut numerus glossarum haud exiguus invitis libris ex sola coniectura sit sanatus et posthac supersit sanandus. Iidem porro dictionem lexicographi, propriis et bonis vocibus vel structuris immutatis, deteriorem reddiderunt: ut qui tritas habeat aures notandis grammaticorum idiomatis, vix Harpocrationem sive melioris ordinis magistrum agnoscat. Sic *ἤγουν* particulam saeculis labentibus frequentatam bis inculcant sub vv. *Ἄτιμος* et *Ἔκδεια*, ubi puriorem scripturam monstrat Epitome *τουτέστιν* (deleto etiam *ἄν*, ne quis cum Dindorfio tentet *ὑποκέηται*) et *ἀντὶ τοῦ*: nec dubium quin utraque sit recipienda, non quam criticus ille p.

XXVIII. commendat *ἤτοι*. Minoris ducimus quod irrepsit in v. *Ἀποφοράν*: *ἀντὶ τοῦ ἀπενεγκεῖν καὶ διάστημα ποιῆσαι μεταξύ*, nam adest rectum *ἐπὶ τοῦ* (item ut in superiore gl. *Ἄβιος*) apud Aldum et in MS. A. Liber autem A. sive Angelicanus princeps istorum est codicum et signifer, partim cum Aldina schedisque Vaticanis (de quibus tradit Dind. XXIII. sqq.) consentiens, dignusque cui paulo religiosius critici debuerint obtemperare. Neque libris vulgaribus vitio vertendum videtur, quod fertur sub v. *Τὰ τῶν φωρῶν κρείττω*: *παροιμία ἐστὶ λεγομένη κατὰ τῶν πλείω φερομένων*, cum enim perperam dicta *κατὰ τῶν* meliores ignorent, recte sensit nuperus editor, quod consuetudo poscit, *ἐπὶ τῶν* esse refingendum. *) Alia deterioris aetatis vestigia iam detersa sunt, praesertim Epitomes fide: velut in v. *Αἰξωνῆσιν* hodie legitur *ἐκωμῳδοῦντο δὲ ὡς βλάσφημοι*, ubi MSS. more plebeio *ἐ. δὲ εἰς βλασφήμους*. Sed *δοκεῖ* ut sit *traditur*, in v. *Ἴσχανδρος* positum, *δοκεῖ δ'... καταπεσεῖν* perferamus. Recurrunt tamen quae manum potius breviatoris quam veteris magistri significent: ut in v. *Ἐπακτὸς ὅρκος* praegressis *ἔστι δὲ ὅρκον τρία εἴδη* et quae sequuntur, succedunt infinitivi, *εἶναι δὲ τοῦτον οὐχ ἁπλοῦν· δεῖν γὰρ κτλ.* Item durissime dictum in conclusione gl. *Μύρτις*: *ἰδεῖν οὖν εἰ γραφικά ἐστιν ἁμαρτήματα*. Contra hunc in censum cave referas glossas rem Atheniensium iudiciariam illustrantes, quas infra docebimus tanquam singulare corpus in syllogen Harpocrationeam immissas fuisse; harum autem oratio multis in partibus horridior est tamque scholasticum ostentat colorem, ut duras iis vel soloecas structuras par sit condonari. Quamobrem inter alia *ἐπὶ* dativo iunctum in tali formula, *ἰδίως μὲν ἐπὶ ταῖς τῶν κλήρων διαδικασίαις ἀντιγραφὴ καλεῖται* (v. *Ἀντιγραφή*), — *λέγεται, ἀλλὰ καὶ ἐπ' ἄλλοις πολλοῖς ἀδικήμασιν* (v. *Γραφή*), utcunque toleramus, non item brachylogiam ingratam

---

*) Non desunt alii loci male compositi, quos lacunae codicum arguant ab imperitis librariis parum Graece suppletos fuisse. Subsistamus in v. *Ἀγασικλῆς*, quae hodie cum editorum consensu sic exhibetur: *περὶ Ἀγασικλέους Ὑπερείδης λέγει. γέγραπται καὶ Δεινάρχῳ λόγος κατ' αὐτοῦ, ἐν ᾧ δεδήλωται ὅτι Ἁλιμουσίους συνεδέκασε καὶ διὰ τοῦτο ξένος ὢν τῇ πολιτείᾳ ἐνεγράφη.* In his primum expectamus aliquam Hyperidis sententiam, quae non subiicitur; deinde *διὰ τοῦτο* (vide vel v. *Ἀγραφίου*) minime convenit in hunc sensum; postremo *ξένος ὢν* prava collocatione (pertinent enim ad prius membrum) sedem alienam obtinuerunt. Libri tamen *συνδικάσαι* (*συνεδίκασε* tradit Dind.) omisso *καὶ* itemque *τοῦτο* nescit Epitome. Iam commode accidit ut in Hyperidis oratione pro Euxenippo nuper a Babingtono vulgata fiat Agasiclis mentio: *Ἀγασικλῆς δ' ὁ ἐκ Πειραιῶς ὅτι εἰς Ἁλιμουσίους ἐνεγράφη.* Ergo videtur in simillima sententia repetitum *ἐνεγράφη* valuisse ut partes duorum testimoniorum coalescerent. Priora sic fere potuerant exprimi: *περὶ Ἀγασικλέους Ὑπερείδης λέγει ὅτι ξένος ὢν τῇ πολιτείᾳ ἐνεγράφη.* Superest ut ad Dinarchum haecce revocentur: *γέγραπται δὲ καὶ Δεινάρχῳ λόγος κατ' αὐτοῦ, ἐν ᾧ δεδήλωται ὅτι Ἀλιμουσίους συνδεκάσας δι' αὐτῶν.. ἐνεγράφη.* Ceterum lemmati glossae ut solet Epitome subiecit *ὄνομα κύριον* (vide vel vv. *Ἀβροκόμας, Ἁγνίας, Ἀθηνόδωρος*), quae raro delevit, ut in v. *Ἁλιρρόθιος*. Editores iusto saepius id inculcant, ut in operis initio post v. *Ἄβαρις*, vel tolerare solent in vulgatis. Nec dubium quin additamentum scholasticum ubique debeat expungi.

hanc, τῷ δὲ ἐνεργητικῷ τῷ ἐπέσκηψεν ἀντὶ τοῦ ἐνετείλατο Ἰσαῖος (v. Ἐπεσκήψατο), cum rectam scripturam praebeat Epitome τὸ δὲ ἐνεργητικὸν τὸ ἐπέσκηψεν Ἰσαῖος.

Sed missis codicum sordibus ad *Epitomen* praevertamur. Constat autem Epitomen dici decurtatum Harpocrationem, quem forma satis dissimili conservarunt duo codices, Palatinus et Parisinus. Palatinam quidem Epitomen suos in usus verterunt Photius ac Suidas eiusque tenorem non sine scripturae discrepantia reddiderunt. Itaque florentibus Byzantinorum litteris ea prodierat, quippe quam homines eruditi saeculis nono decimoque unam lectitarint; neque huius existimationi debet obesse, quod ignorat glossas nonnullas lexici plenioris (id enim in partibus haud suspectis ad codicum pertinet diversitates, non ad Epitomes habitum, siquidem gl. Ἀποικία neglexit Palatinus, retinet Parisinus), aut in beneficii loco deputari, quod vel glossas integras vel supplementa glossarum plurima fertur servare, quae reliquis e codicibus evanuerint. Sane Dindorfius indidem et revocavit glossas quattuor, Τί ἐστι τὸ ἐν τοῖς Δημοσθένους Φιλιππικοῖς, Τριτοπάτορες, Φιλέψιος, Φιλοτησία, et in ordinem invexit additamenta membrorum vel sententiarum, quorum indicem p. XIX. posuit; sed utrumque arbitramur incaute factum. Unam deprehendimus glossam Ἔθνος, quam sententia postulante dudum ex Epitome redintegratam tenemus. Quamquam in hoc studio supplendi lexici parum ille sibi constitit: cur enim καὶ Λυσίας in v. Ἀξιοῖ (cf. vv. Ἀποπεφασμένον et Ἀρετή) assumpsit, sprevit autem in v. Βάσανος, quae Epitome cum Suida subiicit Antiphonti, καὶ Πίνδαρος καὶ Σοφοκλῆς, vel καὶ Ἰσαῖος in v. Ἀφείς? At nisi quis auctaria glossarum manifestis rationibus ostenderit ex antiquioribus et intactis exemplaribus fluxisse, tutius fuit ac probabilius ea lexicis rhetoricis tribui, quibus auctor Epitomes ac passim lectores uterentur ad copiolas suas locupletandas. Certissima vero huius breviarii laus et utilitas cernitur in expoliendo Harpocrationis sermone, quem longe puriorem et vetustatis colore tinctum atque collocatione verborum meliore commendatum propagavit. Et recentes quidem editores Epitomen frequenter adhibent, quantosque fructus inde perceperint ad emendationem singulae paginae declarant; superat tamen numerus glossarum, quae pristinam formam vel saniorem inde recuperare possint. Nos paucis defungemur speciminibus. Gl. Ἀγησίλαος patienter ferunt sic conscriptam: Ἀγ. οὗτος ἦν ὥς ὁ Ξενοφῶν δηλοῖ βασιλεὺς Λακεδαιμονίων ἐπιφανὴς καὶ γενναῖος, καὶ πολλὰ τῆς Ἀσίας κατεστρέψατο τοῖς Κύρῳ συναναβᾶσι χρησάμενος στρατιώταις. Verba magistris infimi subsellii quam Harpocratione digniora: quem qui semel attigerit, sciat et formulam ὡς ὁ Ξενοφῶν δηλοῖ huius mori repugnare et sicuius auctoritas in memoria regis famosissimi desideraretur, fidem oratoris, non Xenophontis requiri. Quanto purior Epitomes aliorumque lexicorum ob-

servatio: *Ἀγ. ἦν δὲ Λακεδαιμονίων ἐπιφανὴς καὶ γενναῖος βασιλεὺς καὶ ᾄδεται παρὰ πολλοῖς τῶν ῥητόρων.* Nihil igitur deest praeter nomen oratoris post glossae praescriptionem inserendum: eum autem Isocratem (Paneg. 144.) esse vel gl. *Κύρειον* persuadet. Paulo post v. *Ἀγοράς. Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Πολυεύκτου περὶ τοῦ διαγράμματος· οὗτοι πολλάκις ἀγορὰς ποιοῦνται. μήποτε ἀντὶ τοῦ συνόδους νῦν. σημαίνει δὲ καὶ ἕτερα τοὔνομα.* Exilis ista narratio, quam qui commentus est, eum mirere suspicari tantum de significatu nominis. Atqui *μήποτε* particula coniecturalis, quam vulgus scholiastarum adamavit, cum ab aliis antiquis grammaticis est aliena, tum ab Harpocratione. *) Iam Epitome tam eleganter, nihil ut aptius inveniri possit: *Ὑπερείδης ἀντὶ τοῦ συνόδους. λέγει γὰρ ἐν τῷ κατὰ Πολυεύκτου* [supple *περὶ τοῦ διαγράμματος*]· *οὗτοι πολλάκις ἀγορὰς ποιοῦνται. δηλοῖ δὲ καὶ ἄλλα τοὔνομα.* Succedat gl. *Ἀδράστειαν: οἱ μὲν τὴν αὐτὴν λέγουσι τῇ Νεμέσει, λαβεῖν τε τοὔνομα ἀπὸ Ἀδράστου τοῦ Ταλαοῦ — ἱδρυσαμένου ἱερὸν Νεμέσεως, ὃ προσαγορευθῆναι μετὰ ταῦτα Ἀδραστείας, ὡς Ἀντίμαχος ἐν τούτοις δηλοῖ κτλ. Δημήτριος δὲ ὁ Σκήψιος Ἄρτεμίν φησιν εἶναι τὴν Ἀδράστειαν, ὑπὸ Ἀδράστου τινὸς ἱδρυμένην.* Perturbationis partem animadvertit recens editor, nec tamen ab indiciis Epitomes ut poterat plane profecit. Antimachus quidem cum tradat Adrasteam antiquitus ad fluvium Aesepum consecratam, apparet eius testimonium ab iis sacris, quae Adrasto regi Argivorum tribuebantur, alienissimum esse. Verum igitur membrorum ordinem servat Epitome, locum Antimachi reponens post Demetrii narrationem, *Δημήτριος δὲ — ἱδρυμένην*, deinde praegressa huius ope sic complenda sunt, *λαβεῖν δὲ τοὔνομα παρὰ Ἀδράστου βασιλέως τοῦ Ταλαοῦ.* Simplicior eiusdem usus fit in v. *Ἀλιμούσιοι*, ubi scholasticam accessionem *καὶ οἱ δημόται Ἀλιμούσιοι* nescit Epitome. Similiter commissum in v. *Ἀλωπεκή: δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος. ὁ δὲ δημότης Ἀλωπεκεὺς καὶ Ἀλωπεκῆθεν.* At quanto tersior illius est oratio: *Ἀλωπεκῆθεν. δῆμός ἐστιν ἡ Ἀλωπεκὴ τῆς Ἀντιοχίδος. καὶ ὁ δημότης Ἀλωπεκεύς.* Cf. v. *Ἐρχιᾶθεν.* Continuo sub v. *Ἀμαζόνειον* membra confusa, quae partim etiam v. *Ἐάν*

---

*) Unam fortasse gl. *Μάστειρα* non iam convellere licet. Sed quis rudissimam dicendi formam excuset in v. *Ξηραλοιφεῖν: — καὶ Νίκανδρος . . . προστιθεὶς ὅτι μήποτε καὶ τὸ ὑπὸ τῶν ἀλειπτῶν λεγόμενον ξηροτριβεῖσθαι οὕτως ἐλέγετο*? Bene tamen factum quod optimus Suidae liber istam appendicem praetermisit; nec dubitamus quin Sophoclis fragmentum e Peleo debeatur lexico rhetorico. Simili cuidam fonti videntur ascribendae esse copiae v. *Ὅρον*, item v. *Παλιναίρετος*, quam totam idem Suidae liber ignorat, et v. *Περίστασιν*, cuius explicationes admodum putidae sunt. Aperte vero manum interpolantem, hoc est, sedulitatem hominis non indocti, prodit clausula gl. *Πολύστρατος: μήποτε μέντοι ἐνταῦθα δεῖ γράφειν Πολύτροπον ἀντὶ τοῦ Πολυστράτου. παρὰ μηδενὶ γάρ φησιν ὁ Δίδυμος εὑρηκέναι τὸν Πολύστρατον κτλ. τὸν Πολύτροπον μὲν οὖν ἐν τῇ ς΄ τῶν Ἑλληνικῶν Ξενοφῶντος εὗρον, ἀλλ' οὔτε τὸ ξενικὸν τοῦτο ἔφησεν* (sic) *ὁ Ξενοφῶν τρέφεσθαι ὑπ' Ἀθηναίων οὔτε αὐτὸς Ἀθηναῖος ἦν ὁ Πολύτροπος.* Haec si quis uno tenore potuit consociare, stolidus fuit aut contempsit lectores suos. Tandem ut his finem imponamus, quae sub v. *Ναΐς* extant, omnia nescio cuius importunitas ex Athenaeo descripsit. Adde p. XIII. XIV.

τις iuvat, non dubium quin sic reconcinnanda sint: *Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Διοκλέα. ἔστι δὲ ἱερὸν ὃ Ἀμαζόνες ἱδρύσαντο. διείλεκται δὲ περὶ τῆς Ἀμαζόνων ἀφιερώσεως Ἀθήνησιν Ἀμμώνιος — θυσιῶν.* Haec igitur exempla quamvis in transcursu collecta, quae cumulare nihil attinet, omnino demonstrant non modo quem usum etiamnum Epitome criticis afferre possit, sed orationem totius libri vehementer turbatam multum ab integritate descivisse. Ceterum id consilium secutus est Epitomae scriptor, ut enarrationem quidem lexicographi sui fere servaret illibatam, nimiam autem eruditionem in afferendis auctoribus positam extenuaret et ad paucitatem quammaximam redigeret, sublatis potissimum titulis librorum et testimoniis amplioribus. Nova sane breviandi ratio, dissimilis illa notis ex hoc genere laboribus, sive grandia lexica spectamus, quorum vices nunc instar Hesychii strigosa corpuscula subierunt, sive Stephanum Byzantium comparamus superstitem cum reliquiis operis germani. Accidit tamen ut interdum epitomator in ipsam enarrationem et disciplinam antiquitatum durius consuleret, nonnunquam etiam vix argumenta glossarum adumbraret: ut in vv. *Ἀλκιβιάδης* et *Ἀλκίμαχος*.

Iam postquam huc deduximus quaestionem, animo complectamur quid e tot observationibus confici possit. Apparuit Harpocrationis duplicem extare recensionem ac duobus codicum ordinibus fultam, quorum alteri lexicon tradant vitiosissime scriptum, oratione corrupta miserisque modis interpolata, sed doctrina distinctum ut videtur satis plena quaeque conditore suo digna habeatur, alteri vero puriorem quidem ostendant orationem ac fidelius custoditam, copiis tamen et argumentis doctrinae nimium accisis et imminutis. Quibus igitur fatis illius laborem iactatum fuisse suspicabimur quibusque finibus olim astrictum, cum recens ex auctoris officina prodisset? Res utique non testimoniis et ambiguae fidei tabulis agitur, sed nobismet ipsis confisi nostris oculis librum, qualis hodie praesto est, contemplemur. Ac primum obtutus ipse monstrat eum ad litterarum ordinem esse dispositum, non ut prorsus ad elementorum rigorem exigatur, sed ut plerumque series binarum priorum litterarum vel syllabarum spectetur. Postquam enim litterati homines nunc variam antiquitatum materiem nunc formulas et apparatum dicendi lexicis comprehendere coeperant iidemque doctrinam ex utroque genere temperatam in iis digesserant, inde a saeculo secundo res sic gerebatur, ut aut paucarum ab initio litterarum successiones paulo liberiores aut constans binarum vel plurium syllabarum series, quemadmodum nostra solent dictionaria, servaretur: quo fit ut siqua glossa suum ordinem migret, tanquam desertor gregis (vide Comentt. de Suida cap. II. init.) ab criticis notetur. Ergo qui silvam tantum variae lectionis et inconditae ex historiis et grammaticorum opibus ad eruditionis incrementum diffunderent, ut Atticistae et polyhistores (inter quos Helladius, Photio teste, *οὐδὲ κατὰ πάσας τὰς συλλαβὰς τὴν τοῦ στοιχείου τάξιν φυλάττει, ἀλλὰ*

κατὰ μόνην τὴν ἄρχουσαν), liberalius hanc legem tuentur quam qui studiis populi regendis instrumentum promptum et omnes in partes expositum molirentur: his enim curae fuit ut quaelibet vox sine temporis dispendio quaerentibus extaret. Mediam quodammodo viam tenuere Lexica Rhetorica, praeeuntibus Aelio Dionysio et Pausania; litterarum autem ordinem qualemcunque custoditum fuisse non modo Photius Bibl. Cod. 146. sqq. testatur, sed Eustathius etiam passim (v. Meier. de L. Rhet. p. 31.) afferens ῥητορικὰ λεξικὰ τὰ κατὰ στοιχεῖον et στοιχειακὴν τάξιν λέξεων quaeque similiter sonant.

Harpocrationis igitur opusculum si minus ad amussim litterarum, quam ei normam violenter obtrudebat Blancardus, certe tam diligenter plerasque glossas habet dispositas, ut lectorum commodis nulla fere cum molestia prospiciatur. Quod si tamen non paucae feruntur huic legi repugnantes, maior pars ab industria magistrorum vel possessorum lexici videtur repeti posse, qui varias copias ex aliorum lexicis haustas in marginibus annotassent. Auget vero suspicionem etiam illud, quod et brevissimae sunt et ut plurimum testimoniis destitutae, quibus suas glossas Harpocratio munire solet, et interdum alieniores ab huius instituto. Velut Ἄιδρις. ἀνεπιστήμων, quae glossa parum convenit Oratoribus; dein quam rectius Epitome subiecit Ἀειεστώ, infra v. Ἀριοβαρζάνης, quam quae praecedit gl. Ἀργαῖος non spernenda, deest eidem Epitomae. Paulo post Ἀριστεύς. ὄνομα καὶ τοῦτο κύριον. Ἀρίστυλλα. Ἀριστογείτονος ἦν ἀδελφή, ante gl. Ἀριστίων locata, sic contracta sunt, ut manum epitomatoris redoleant. Porro gl. Αὖ satis exilis sedem invasit minime ferendam, eamque nescit unus liber, qui glossas bene multas fraudis suspectas expunxit. Falsam Ἐνδεκάζοντας (debuit Συνδεκάζοντας) num lexicographus suo marte procuderit in medio relinquimus. Similiter, ne longius abeamus, gl. Πολύγνωτος et Πολύστρατος negligentius quam cautius interpositas videmus. Sed in his quae ad editoris officium pertinent non vacat immorari.

Superest ut interiorem operis compagem intueamur. Lexicon decem Oratorum sive τῶν παρὰ δέκα ῥήτορσι λέξεων, quam inscriptionem ab Iuliano factam tradit Photius, cum usibus eorum fuerit destinatum, qui quavis in Oratoribus Atticis oblata quaestione breviter res et verba non communia doceri vellent, grammaticus et formulas vocesque proprias vel raro significatu notabiles et antiquitates Graecorum, potissimum vero quaestiones iuris Attici sumpsit digerendas, idemque nomina personarum et locorum illustrium diligenter inseruit, quorum passim mentio fit in orationibus. Tantam autem silvam disciplinae forensis cum interpretes Oratorum, quorum principatus ad *Didymum* (vide huius reliquias ab M. Schmidtio collectas p. 310. sqq.) deferendus videtur, per eruditos commentarios diffuderant, tum auctores plurimi Lexicorum Rhetoricorum quique historias gentium et hominum clarorum, pagorum,

sacrorum et rem Atheniensium iudiciariam explicaverant, prae ceteris Atthidum scriptores, eo cum apparatu erant persecuti, ut delectus modicus scienter institutus plerisque sufficere deberet. Hunc igitur Harpocratio tanquam promptuarium parabilis doctrinae confecit, adiunctis etiam selectis testimoniis tam classicorum fontium quam universae Graecorum philologiae, quibus enarrationes suas firmare solet aliunde decerptis: nusquam enim aut rarius ille lectionem expressit proprio sudore partam. Sed ut dudum consuetum erat inter subsidia historiarum memoriam etiam poetarum comicorum refert; aliorum tamen e carminibus, inprimis tragicorum vix quicquam enotavit, nisi quod priores firmandis veterum temporum aut moribus aut formulis apposuissent, nedum ut poetas reconditiores post Alexandri Magni aetatem delibarit. *) Hinc, ut uno luculentoque utamur documento, fluxerunt numerosae criticorum sententiae et iudicia de suspectis vel subditis orationibus, *εἰ γνήσιος* quaeque his similia sunt, partim e Callimachi tabulis tracta; paulo rarius etiam codices significantur et errores ex iis disseminati. Nominatim vero lectiones afferuntur *ἐν τοῖς Ἀττικιανοῖς* repertae, cum grammaticus de locis Demosthenis et Aeschinis disceptat. Quorum emendator si fuit Atticus ab Luciano memoratus, quem Hemsterhusius verisimiliter agnovit, non dubitandum fuerit quin Harpocratio post saeculum secundum vixerit. Idem vetustos sequitur pagorum Atticorum indices; sed cum superiores glossae breviter nec sine negligentia, non adhibitis testibus, conficiantur, inde ab v. *Ἕρμος* demum constanter accedit auctoritas Diodori Periegetae *περὶ τῶν δήμων*. Cuius rei quoniam non licet causam fortuitam excogitare, hoc quoque monemur opus diversis esse manibus tractatum; nam ab eodem homine, qui paratis uteretur subsidiis, tam inaequalem rationem admitti potuisse quis sibi persuaserit? Sed longe gravior fuit et fructuosior illa lexici pars, qua continentur *Δικῶν ὀνόματα* tot commentariolis mandata sive definitiones iuris Attici. Huius vero generis amplissimam collectionem servavit Harpocratio, quae verbis quidem raro recedit ab oratione Lexicorum Rhetoricorum adeoque sordidam vel pinguius formatam

---

*) Nam quem unum appellat auctorem *Euphorionem* aut Lexicis Rhetoricis acceptum rettulit aut commentariis Didymi: vide v. *Ὁ κάτωθεν νόμος*. Indidem sumpsit etiam pauca fragmenta tragicorum poetarum, nominatim Sophoclis et Euripidis, quibus singularis quaedam observatio niteretur. Quamquam ne his quidem omnis abest fraus et interpolatio. Velut gl. *Δερμηστής* allatis Didymi et Aristarchi contrariis sententiis haec tanquam meliora subiiciuntur: *μήποτε δὲ μᾶλλον ἂν εἴη ὅστις τὰ δέρματα ἐσθίει δερμηστής, ὡς ὑποσημαίνεται καὶ ἐν ϛ' Μιλησιακῶν Ἀριστείδου.* Mittimus interim novissima quantumvis suspecta; formulam autem *μήποτε* cum supra p. X. alienae manus indicem deprehenderimus, praestat saltem cum Epitome, *εἴη δ' ἂν μᾶλλον ὁ τὰ δέρματα ἐσθίων ἐτυμώτερον οὕτω καλούμενος.* At explicatio, quam commendat grammaticus, nihil a Didymi differt; quod autem in hac re gravissimum est, non *δερμηστής* posuerat Sophocles sed *σακοδερμηστής* vel simile quid, de quo Hesychius et Photius non sinunt addubitare. Sophoclis igitur fragm. 397. et 562[a]. in unum debent conflari. Harpocrationis vero glossam breviando putamus male decurtatam fuisse.

elocutionem (vide p. VIII.) affert, praestat tamen copia testium lectissimorum, qui reliquis plerumque desunt. Diligentiae doctae prae ceteris exempla sunt glossae uberiores **Διαμαρτυρία**, **Ἐξούλης**, **Κακώσεως**. Neque vero glossas nomicas prorsus accurate litterarum in ordinem convenire monstrant vel gl. **Διαχειροτονία** cum seqq.

Hactenus orbem studiorum et eruditionis emensi sumus, cuius finibus hic grammaticus sese continuit. Dixeris cursum et delectum vitae civilis, qualis in eximiis Oratorum Atticorum eluxerat monumentis, summis ab eo lineis satis intelligenter describi. Huic legi consentaneum videtur ut omnia tanquam emblemata reiiciantur, quibus antiquitates privatae vel appellationes locorum illustrentur. Primum igitur memoria *Strabonis* est alienissima, quam qui duobus in locis certa ratiocinatione confodit Meinekius, iure habuit assentientem Dindorfium p. 191. Vellemus similem ab eodem interpolationem in copiis *Athenaei* esse agnitam, de quibus supra monitum p. V. Irrepserunt enim quaedam annotationes, ubi nomina meretricum et vasculorum non adhibitis, quod tolerabile diceres, Athenaei adversariis traduntur, sed cum ipsis hominis verbis et auctore celato. Satis est e quattuor glossis (si forte discedimus ab **Ἐγγυθήκη**) **Λυκιουργεῖς**, **Ναΐς**, **Νάννιον** et **Νεμέας**, primam perstrinxisse; quamquam etiam illud, quod in v. **Νάννιον** erudita scilicet observatio, **ὅτι θαλλῷ χαίρουσιν αἱ αἶγες**, auctoritate fragmenti Sophoclei munitur, debebat inusitatum videri. Sed longius fidem excedit in v. **Λυκιουργεῖς** operosior excursus de fabrica vocabulorum illorum, ubi non modo quod p. X. exagitatur **μήποτ' οὖν γραπτέον** offendit, admissum illud etiam in v. **Ναΐς**, sed multo magis praegressa **ἀγνοεῖν δὲ ἔοικεν ὁ γραμματικός**. Nam **Δίδυμος ὁ γραμματικὸς** quae hodie leguntur in vv. **Ἀπὸ μισθωμάτων** et **Γαμηλία** cum ab ipso Harpocratione proficisci nequiverint, tum ipsa brevitas et imperfecta glossarum condicio vincit epitomatorem iis manum admovisse.

Tandem nomen solvendum est quod supra recepimus, negantes Harpocrationem superesse germanum et saeculis Caesarum satis dignum. Neque iam premimus quod in oculos incidit, admodum inaequalem esse lexici habitum, in quo breves ieiunaeque glossae, detracto paene nobiliore apparatu, cum plenis et instructis confundantur; nec raro formulas vel antiquitates miramur levi manu tractari, quas lexicographi nostri scholiastaeque iisdem fontibus usi longe liberalius et maiore cum scientia rerum exponant. Verbi causa gl. **Χρυσοχοεῖν** uberem illam et selectam contende si libet cum superiore **Βάταλος**, cui quid ad integritatem doctrinae desit ostendere poterit Meinekius Com. I. p. 333. sqq. Porro quodammodo suspicamur olim ditissimam gl. **Ἴων** extitisse, quae tot rebus exquisitis ultra necessitatem circumfluit, ut de libro etiam controverso poetae tradat diligenter eiusque primordium describat. Haec igitur et similia

nunc haud curamus; nec libet illud percontari, qua veri specie Didymus a grammatico grammaticus appellari potuerit aut Dionysius Halicarnassensis semel (in v. *Ἐνεπίσκημμα*) ab eo laudari, quem coniectent paucis annis post scripsisse. Nos potius quid in scriptorem istum cadat, quid cum eius consilio discrepet, ad normam in optimis glossis impressam exigemus. Itaque Harpocratio lemmati suo nomen oratoris et locum, ad quem glossa referatur, subiicere solet; sequitur autem enarratio nunc brevis nunc varias in partes excurrens, siquando magna dissensio fit virorum excellentium in verborum vel antiquitatum disciplina; contra nihil ad illum pertinent quae neque coniuncta sint cum oratoriis litteris nec firmentur testimoniis et auctoritatibus doctis. His concessis simulac glossas dissimillimas circumspicere coepimus, primum occurrit incredibilis vis annotationum, quae fere tribus verbis absolvuntur et nomina personarum pagorum institutorum summatim recensent, nullis additis testibus aut explicationibus, sic ut magistelli Byzantini credamus epitomen tenere. Saltem alicuius coloris haecce sunt: *Αἰθιόπιον* (immo *Αἰθόπιον*). *ὄνομα χωρίου ἐν Εὐβοίᾳ. Ἀλκμαιωνίδαι. γένος ἐπιφανὲς Ἀθήνησιν ἀπὸ Ἀλκμαίωνος. Ἀλωπεκόννησος. πόλις τῶν ἐν Χερρονήσῳ. Ἀμβρακία. πόλις ἐν τῷ Ἀμβρακικῷ κόλπῳ, ἄποικος Κορινθίων. Ἀμόργης. Πισσούθνου νόθος υἱός ἐστιν. Ἀξίοχος. Αἰσχίνῃ τῷ Σωκρατικῷ διάλογος ἐγράφη Ἀξίοχος καλούμενος. Δειραδιώτης. δῆμος τῆς Λεοντίδος Δειράδες, ἀφ' οὗ ὁ δημότης Δειραδιώτης*: ac similiter in hoc genere usque ad v. *Ἕρμος*, ut supra monitum. Contra prorsus scholastici laboris sunt talia: *Ἁλαιεύς. ὄνομα δήμου. Ἀμβλωθρίδιον. τὸ ἀμβλωθὲν βρέφος. Ἄρθμιος. ὄνομα κύριον, δοῦλός τινος βασιλέως. Ἀριστεύς. ὄνομα καὶ τοῦτο κύριον. Ἀφροδίσιον. ἰδίως τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἕδος.* (Quae in epitomen fuisse contracta docet vel gl. *Ἀρτεμίσιον*.) *Γλυκέρα. ἑταίρα τις. Δερκυλίδας. Λακεδαιμονίων βασιλεύς. Πασίων. ὄνομα κύριον, τραπεζίτης. Παταικίων. ὄνομα κύριον, κλέπτης καὶ τοιχωρύχος*: et alia non doctiora, quae describere piget. Deinde glossae supersunt, quas dubites utrum imperfectas appellare deceat an mutilatas et optima sui parte spoliatas. Velut ubi nullius nisi Didymi sententia profertur, *Δίδυμός φησιν ὁ γραμματικὸς* in v. *Ἀπὸ μισθωμάτων, καὶ Δίδυμος ὁ γραμματικὸς* (ubi duplex eius opinio profertur) in v. *Γαμηλία*, porro duobus locis Demostheneis integrae Didymi voces ascribuntur in vv. *Ἑωλοκρασία* et *Ὁ κάτωθεν νόμος*, quarum priorem alii lexicographi commentis exornant uberrimis, Harpocratio nudam reliquit. Certe dubitationem suam de Didymi narratione pronunciat in gl. *Θέτης*, quam apparet interpolatam esse (cf. v. *Ἐξένιζε*) et *Πυθαέα*. Quid quod ipsum opusculum exorditur a mutila gl. *Ἄβαρις*, in qua nullus oratoris locus designetur. Hactenus iure videri potest Dindorfius esse suspicatus (p. XXII.) *lexicon hoc ab Harpocratione aliquanto quam nunc est amplius relictum ab aliis paulatim in formam redactum esse compendiosiorem, operis autem omni ex parte integri exemplaria mature periisse.* Verum ille non tantum epitomen subiit, sed interpolationes etiam et adventicias glossas perpessus est. Et interpolatam quidem orationem esse librorum vulgarium, sed

ex Epitome frequenter eam meliorem effici, cum supra demonstratum sit exemplis gl. *Ἀγησίλαος* aliarumque, nolumus his immorari. Sed praestat accessiones perstringere, quae lexicographum novis glossis iisque parum accommodatis ditarunt, partim pristinam eius possessionem additamentis reddunt auctiorem. Harum autem numerum haud spernendum praebuerunt Lexica Rhetorica, per magistros sive librarios passim adhibita: cuius licentiae specimina quaedam innotuerunt ex codice Marciano, paulo plenius apud Dindorfium p. VI—IX. exsignata. Nonnulla tamen huius ordinis ipsa codicum fluctuatio in suspicionem adducit, ut in v. *Ἀγυιᾶς* membrum illud, *ὡς σαφὲς ποιοῦσιν Ἀριστοφάνης τε ἐν Σφηξὶ καὶ Εὔπολις*: quamquam in continuis resident etiam plura, quorum fidem non maioris aestimemus. Porro gl. *Πολύστρατος* occupari malis auctariis ostendimus; accedat clausula gl. *Ἐλευθέριος Ζεύς*, quam homo semidoctus allevit: *ὅτι δὲ ἐπιγέγραπται μὲν σωτήρ, ὀνομάζεται δὲ καὶ ἐλευθέριος, δηλοῖ καὶ Μένανδρος.* Fuit etiam lector nimium sedulus, qui de v. *Αὐτοκλείδης* petitam fabricaret alteram glossam *Θέρσανδρος.* Longe tamen notabilior est numerus glossarum, quas ab Harpocrationis rationibus alienas esse, hoc est, nec locis Oratorum explicandis neque vitae forensis antiquitatibus inservire lector attentus facile perspiciat. Non dicimus glossulam *Ἀδημονούσης. ἀπορούσης*, nuper temere receptam, aut *Ἄιδρις. ἀνεπιστήμων*, aut fusius explanatam *Ἀτεχνῶς. περισπωμένως μὲν ἀντὶ τοῦ σαφῶς ἢ βεβαίως —, παροξυτόνως δὲ ἀντὶ τοῦ ἀμελῶς καὶ ἄνευ τέχνης* (haec enim nemo non intelligit glossariis vulgaribus fuisse relinquenda), sed vv. *Ἀετός*, *Ἀκαδήμεια* (ubi de tribus Athenarum gymnasiis agitur), *Ἀλίπεδον* (quae Etymologicis dignior esse videtur), *Ἀναξαγόρας*, *Βλιμάζειν*, *Βωμολοχεύεσθαι*, quae comico lexico debetur, *Εἷς ἓν ἦλθεν* et consimiles, quibus doctiores habent recessus *Γεωφάνιον*, *Λάτος*, *Λευσοποιός* et omnium eruditissima *Τριτοπάτορες*, quam ipsam mireris nuper admitti potuisse. Sequitur ut in eo scriptore, qui tot modis et interpolatus fuerit et immutatus pristinam coloraverit orationem, formulas ad veterem et recentem dicendi consuetudinem spectantes, quibus in comparandis novissimum versatur Prooemium, hisce Harpocrationis lectoribus ac studiosis Byzantinis remittamus, nec patiamur inde lexicographi quisquis fuit aetatem elici. Nostram autem disputationem arbitramur et speramus viris doctis, qui lexicon utilissimum nulla fere cum suspicione solent versare, hactenus esse profuturam, ut posthac germanas partes ab adulterinis et secundariis solicite distinguant.

Iam cum libellus ad perorationem spectet, nefas videtur ei finem imponere, nisi paulisper ad virum eruditum, ab cuius nomine hanc praefationem exorsi sumus, gradum rettulerimus et memoriam *M. H. E. Meieri* tanquam viatores ad sepulcri viam subsistere iussi summatim recolamus. Neque vero libet alienissimo loco de meritis eius in litteras antiquas studiisque doctrinae cum honoris testificatione pronunciare. Longum est et operosum persequi, qui-

bus ab initiis ille profectus ductu et auctoritate Böckhii, cum familiares et eiusdem cursus socios haberet C. O. Müllerum et Ed. Gerhardum, historicam philologiae partem sibi propriam delegerit et in disciplina Graecarum antiquitatum quasi stationem vitae tam constanter eoque cum successu collocaverit, ut inter accuratissimos huius doctrinae explicatores iure numeretur. Verum illius eruditionem industriam subtilitatem diversissimis in quaestionibus spectatam nemo nescit, qui interiorem in notitiam iuris Attici publicique Graecorum sese insinuaverit; vos autem Commilitones non ignoratis aut aliorum sermonibus cognovistis paene viginti annis ab eo iuventutem academicam his prooemiis esse compellatam, quibus memoriam studiorum communium renovamus et liberalem tanquam ingeniorum palaestram sic exercemus, ut incrementa scientiae non magis colantur quam ratio methodi multiplex et cautiones infinitae. Sumpsit igitur argumenta variis ex locis antiquitatis, nunc Aristophanem et Theophrasti Characteres curis criticis retractans, nunc in Oratoribus Atticis, in lexicographis, in inscriptionibus Graecis occupatus. Talibus in studiis dum consenescit et valetudine fessus assiduo labore vires morbi fallit, nuncius propemodum improvisus affertur Meierum vita decessisse; vixdum tamen reputantes quantam litterae iacturam fecissent, qui damnis reparandis sufficere possent, novis rumoribus percellimur, et obstupuimus ad continuas philologiae clades. Adeo fidem et captum excedere videbatur, quod iamiam credidimus, viros in aetatis flore constitutos *C. Fr. Hermannum* et *Schneidewinum,* qui disciplinam antiquitatis et Georgiam Augustam suam praeclaris meritis et institutionibus ornassent, fato repentino extinctos fuisse; multumque valuit ut funesti casus minus aequo animo perferrentur, quod constabat paucos superesse paucioresque fore, qui tot et tanta munera philologiae sustinere possent et in academiis salubriter tueri. Non levissimum tamen solatium afferunt viri primarii, quos naufragiis temporum superstites rebus nostris interesse laetamur et vegeto corporis animique vigore litteras antiquitatis promovere. Horum nulli nunc saepius nobis obversantur quam duumviri celeberrimi, quos fere quinquaginta abhinc annis e spatiis Academiae Fridericianae dimissos, potissimum Fr. Aug. Wolfii disciplina formatos, ad nos iure nostro pertinere contendimus et gloriamur; alterum autem intelligi principem philologiae Germanicae, alterum criticum eximium, cui plurima Graecorum monumenta novum habitum ac propemodum salutem debent, quis ignorat? Vos autem facite, cives humanissimi, ut exempla virorum in suis generibus praestantissimorum diligenter intueamini eorumque vestigiis per honestam laudis aemulationem insistatis. Valete.

D. m. Mart. a. 1856.

I. SCHOLÆ THEOLOGORVM.

a. Professorum ordinariorum.

F. A. THOLUCK, Dr.

I. Publice formulam docendi Ioanneam tradet d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim 1) evangelium Ioannis interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI. 2) theologiam biblicam Vet. et Novi Testamenti tradet quater p. h. h. III-IV. 3) encyclopaediam et methodologiam theologiae proponet bis p. h. d. Iov. et Ven. h. VI-VII.

III. In seminario regio theologico exercitationes N. T. *exegeticas* moderari perget.

HERM. HUPFELD, Dr., DECANVS.

I. Publice elementa *linguae Syriacae* tradet subiunctis lectionibus ex *Roedigeri* chrestomathia binis diebus hor. III.

II. Privatim 1) *psalmos* interpretabitur senis diebus hor. IX. 2) *archaeologiam biblicam populi Hebraici* duce de Wettio tradet quaternis diebus h. II.

III. In seminario regio theologico *exercitationes V. T. exegeticas* moderari perget.

IUL. MUELLER, Dr.

I. Publice de ethica familiae, reipublicae et ecclesiae ratione exponet d. Sat. h. VIII-IX.

II. Privatim 1) theologiam ethicam quinis p. hebd. dieb. h. VIII-IX. 2) posteriorem theologiae practicae partem senis scholis h. VII-VIII tradet.

III. In seminario regio theologico exercitationes *dogmaticas* moderari perget.

C. B. MOLL, Dr.

I. Publice epistolas *Petri* et *Iudae* interpretabitur diebus Merc. et Sat. h. X-XI.

II. Privatim 1) *theologiam dogmaticam* docebit senis p. h. scholis h. IX-X. 2) epistolam ad *Hebraeos* scriptam interpretabitur quaternis p. h. scholis h. X-XI.

III. In seminario regio theologico exercitationes tam *homileticas* quam *catecheticas* moderari perget.

IUST. LUDOV. IACOBI, Dr.

I. Publice ex instituto Lenziano epistolam ad *Colossenses* scriptam interpretabitur d. Lun. et Merc. h. VI-VII.

II. Privatim 1) *theologiam symbolicam* exponet quinis p. hebd. diebus h. XI-XII. 2) de *historia ecclesiae dogmatumque* colloquendo disseret d. Sat. h. XI-I.

III. In seminario regio theologico exercitationes *historicas* moderari perget.

b. Professorum extraordinariorum.

H. E. F. GUERICKE, Dr.

I. Publice Pauli ad *Titum et ad Timotheum epistolas* interpretabitur binis scholis dieb. Merc. et Sat. h. VII-VIII.

II. Privatim 1) *introductionem in libros Novi Test.* tradet quater p. hebd. h. VII-VIII. 2) *historiae ecclesiasticae partem priorem* enarrabit sexies p. h. h. XI-XII.

C. CHR. LEBR. FRANKE, Dr.

I. Publice *historiam artis catecheticae* narrabit d. Lun. h. II-III.

II. Privatim *artem catecheticam* docebit dieb. Mart., Merc. et Iov. h. II-III.

A. F. DAEHNE, Dr.

I. Publice epistolam *Iacobi* latino sermone interpretabitur dieb. Lun. et Mart. h. VII-VIII. mat.

II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem priorem* tradet quotidie h. XI-XII.

C. SCHWARZ, Lic. et Phil. Dr.

I. Publice de *Schleiermacheri theologia* disseret d. Merc. h. XI-XII.

II. Privatim *introductionem historico-criticam* in libros N. T. tradet scholis quaternis dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. XI-XII.

G. O. DIETLEIN, Lic.

I. Publice *vitae Iesu Christi conspectum* proponet dieb. Merc. et Sat. h. VIII-IX.

II. Privatim *epistolam Pauli ad Romanos* scriptam interpretabitur quinis p. h. hor. X-XI.

G. KRAMER, Phil. Dr.

Privatim *historiam paedagogices recentioris* ter p. hebd. docebit.

I. WICHELHAUS, Lic.

I. Publice introductionem in canonica quatuor evangelia tradet d. Lun. h. V-VI.

II. Privatim evangelium Matthaei (Marco et Luca collatis) interpretabitur quinis p. hebd. scholis h. X-XI.

c. Licentiatorum privatim docentium.

GUIL. MOELLER, Lic.

I. Gratis de *Origenis* vita, scriptis, doctrina disseret bis p. hebd. h. def.

II. Privatim *dogmatum historiam* tradet quotidie h. XI-XII.

E. BOEHMER, Lic. et Phil. Dr.

I. Gratis *locum doctrinae de Deo* exponet bis p. h.

II. Privatim *librum Danielis* explicabit ter p. h.

II. SCHOLÆ IVRISCONSVLTORVM.

a. Professorum ordinariorum.

L. PERNICE, Dr., DECANVS.

I. Publice selecta *iuris privati principum* capita exponet die Sat. h. IX.

II. Privatim 1) *ius publicum Germanicum* quinquies h. X. 2) *ius feudale* quater h. XI. dieb. Iov., Ven., Sat. et h. X. d. Sat. 3) *ius gentium Europaearum* ter h. XI. dieb. Lun., Mart., Merc. tradet.

H. W. E. HENKE, Dr.

I. Publice selecta *iuris criminalis* capita tractabit d. Sat. h. IX.

II. Privatim 1) *encyclopaediam* et *methodologiam iuris* quater per hebd. h. IX. 2) *ius criminum* tam *commune* quam *Borussicum* quotidie tradet h. VIII.

C. WITTE, Dr.

I. Publice iuris Romani praecepta *de iure familiarum* tradet d. Sat. h. XII.

II. Privatim 1) *Pandectas* docebit quotidie h. X-XII. 2) *ius commune Borussicum* quinquies p. h. h. XII. exponet.

O. GOESCHEN, Dr.

I. Publice de *fontibus iuris Germanici* disseret h. def.

II. Privatim *ius Germanicum privatum, ius feudale* et *ius commerciorum* tradet quinquies p. hebd. h. VIII-IX. et IX-X.

C. G. BRUNS, Dr.

I. Publice *processum summarium* exponet h. def.

II. Privatim 1) *institutiones iuris Romani* tradet quinquies h. X-XI. 2) *historiam iuris Romani* enarrabit quinquies h. XI-XII. 3) theoriam *processus civilis ordinarii* tam *communis* quam *Borussici* docebit quinquies h. XII-I.

III. In seminario regio iuridico *exercitationes iuris Romani* moderabitur d. Sat. h. XII-I.

P. I. MERKEL, Dr.

I. Publice de *fontibus iuris Germanici* disseret hh. def.

II. Privatim 1) *encyclopaediam, methodologiam* ac *philosophiam iuris* sive *ius naturae* tradet senis per hebd. dieb. h. IX-X. 2) *historiam iuris atque imperii Germanici* exponet quinquies per hebd. h. XII. 3) *ius ecclesiasticum* tam *commune* quam *Borussicum* tradet quinis per hebd. dieb. h. XI.

III. Seminarii regii *exercitationes in iure Germanico* moderabitur d. Sat. h. X.

b. Professoris extraordinarii.

E. I. BEKKER, Dr.

I. Publice *exercitationes exegeticas* moderabitur h. def.

II. Privatim 1) *institutiones iuris Romani* tradet quinquies h. X-XI. 2) *historiam iuris Romani* enarrabit quinquies h. XI-XII. 3) *processum criminalem* tractabit quater h. IX-X.

c. Doctoris privatim docentis.

TH. MUTHER, Dr.

I. Gratis *Domitii Ulpiani* quae vocant *fragmenta* interpretabitur semel p. h. h. def.

II. Privatim 1) *Pandectas* exponet quotidie h. X-XII. 2) *ius hereditarium Romanorum* docebit quater per hebd. h. VII-VIII.

III. Privatissime *repetitorium* et *examinatorium iuris Romani* habebit h. def.

III. SCHOLÆ MEDICORVM.

a. Professorum ordinariorum.

P. KRUKENBERG, Dr.

Scholas non habebit.

E. BLASIUS, Dr.

I. Publice *chirurgiam specialem vulnerum et herniarum* die Sat. h. mat. VII. exponet.

II. Privatim 1) *akiurgiam* quinquies per hebd. hor. mat. VII. tradet eique demonstrationes et proprias commilitonum exercitationes in cadaveribus humanis instituendas adiunget. 2) *exercitationibus clinicis chirurgico-ophthalmiatricis* in nosocomio academico quotidie h. X. praeesse perget.

III. Privatissime *operationes ophthalmiatricas* horis adhuc definiendis demonstrabit et ad easdem in brutorum oculis perficiendas occasionem praebebit.

A. F. I. HOHL, Dr., DECANVS.

I. Publice *partum brachio praevio* dieb. Merc. et Sat. h. VI. tradet.

II. Privatim 1) *artis obstetriciae theoriam* sexies p. hebd. h. IV. docebit. 2) *doctrinam de morbis mulierum* dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. V. 3) *exercitationibus clinicis obstetriciis* quotidie hor. IX. praeesse perget.

III. Privatissime *examinatorium de operationibus obstetriciis* una cum *exercitationibus in phantomate instituendis* dieb. definiend. habebit.

A. G. VOLKMANN, Dr.

I. Publice *physiologiam systematis nervosi* d. Ven. h. IV-VI. exponet.

II. Privatim *physiologiam experimentalem* docebit dieb. Lun., Mart., Merc. et Iov. h. IV-VI.

I. VOGEL, Dr.

I. Publice *selecta medicinae theoreticae capita* exponet d. Sat. h. VIII.

II. Privatim 1) *pathologiae et therapiae specialis partem alteram* docebit h. mat. VI. sexies p. hebd. 2) *exercitationibus clinicis medicis* praeerit quotidie hor. XI-I.

III. Privatissime cursum *diagnostices medicae* practicum offert horis definiendis.

L. KRAHMER, Dr.

I. Publice *demonstrationes pharmacologicas* d. Merc. h. IV-VI. habebit.

II. Privatim *medicinam forensem* compendium 1851. edit. sequens dieb. Lun., Mart., Merc. et Iov. h. VII. docebit.

b. Professoris extraordinarii.

M. SCHULTZE, Dr.

I. Publice *osteologiam et syndesmologiam* tradet d. Merc. h. VIII-X.

II. Privatim 1) *anatomiam comparatam* dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. X-XI. 2) *anatomiam pathologicam* dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. VIII-IX. docebit.

c. Doctorum privatim docentium.

G. REIL, Dr.

I. Gratis *de medicamentis physicis — electricitate, magnetismo et aliis —* disseret hor. def.

II. Privatim *pharmacologiam* sexies h. IX. docebit.

E. O. LOEWENHARDT, Dr.

I. Gratis *pathologiam et therapiam morborum animi* offert d. Mart. et Ven. h. mat. VI.

II. Privatim *exercitationes clinicas in nosocomio psychiatrico* offert d. Sat. h. III-V.

H. PERNICE, Dr.

I. Gratis *encyclopaediam et methodologiam artis medicae* tradet d. Lun. h. VIII.

II. Privatim *artis obstetriciae theoriam* exponet sexies p. hebd. h. IV.

IV. SCHOLÆ PHILOSOPHORVM.

a. Professorum ordinariorum.

I. S. C. SCHWEIGGER, Dr.

Valetudinis causa, venia legitime data, a lectionibus vacabit.

G. G. GERLACH, Dr.

I. Publice *introductionem in philosophiam* dabit ter per hebd. h. VIII.

II. Privatim *metaphysicam* docebit ter per hebd. h. VIII.

I. F. G. EISELEN, Dr.

I. Publice *de populatione* disseret bis per hebd. dieb. Merc. et Sat. h. VIII. mat.

II. Privatim 1) *eam politices partem, quae ad oeconomiam nationalem spectat,* quaternis p. h. scholis tradet h. VIII. mat. dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. 2) *doctrinam rerum, quae ad aerarium pertinent,* quater p. h. iisdem diebus h. XI.

H. F. G. HINRICHS, Dr., DECANVS.

I. Publice *philosophiam fundamentalem* tradet dieb. et hora adhuc defin.

II. Privatim *aestheticam* docebit diebus quaternis h. V. postmer.

G BERNHARDY, Dr.

I. Privatim 1) *Platonis Symposion* interpretabitur d. Lun., Mart., Iov. h. X. 2) *Taciti Annales* explicabit iisdem diebus h. IX.

II. Idem sodalibus seminarii philologici proponet *Euripidis Bacchas* interpretandam et consuetas scribendi disputandique exercitationes regere perget h. X.

H. LEO, Dr.

I. Publice in interpretanda *chrestomathia Dietrichiana* (Dietrich's altnordisches Lesebuch. Leipz. 1853. 8.) perget bis p. hebd. h. XII.

II. Privatim *historiam populi et imperii Germanici* enarrabit quater per hebd. h. II.

O. A. ROSENBERGER, Dr.

I. Publice *elementa geometriae analyticae trium dimensionum* proponet ter per hebd. dieb. Lun., Merc. et Ven. h. XI.

II. Privatim 1) *calculum integralem* docebit quinquies p. h. h. X. 2) *methodum quam dicunt minimorum quadratorum* explicabit bis p. h. dieb. Mart. et Iov. h. XI.

III. Privatissime et gratis *exercitia seminarii mathematici et physici* moderabitur semel p. hebd. h. const.

L. G. BLANC, Dr.

I. Publice unam alteramve *comoediam Molierii* interpretabitur dieb. Lun. et Iov. h. XII.

II. Privatim *historiam et elementa linguae italicae* tradet dieb. Mart., Merc. et Ven. h. XII.

D. F. L. DE SCHLECHTENDAL, Dr.

I. Publice *graminum et cyperacearum familias* illustrabit semel p. hebd. d. Iov. h. V.

II. Privatim 1) *botanices elementa* docebit sexies p. hebd. h. VII. 2) *de plantis medicis et cibariis secundum familias* disseret quater p. hebd. dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. VIII. 3) *demonstrationes plantarum* instituet semel p. hebd. d. Merc. h. VIII.

AEM. ROEDIGER, Theol. et Phil. Dr.

I. Publice *linguam persicam* docebit d. Merc. h. VIII.

II. Privatim 1) *librum Iobi* interpretabitur senis per hebd. scholis h. IX. 2) *de spe Messiana* disseret *locosque Vet. Testamenti Messianos* exponet d. Sat. VII-IX. 3) *scholas arabicas* habebit binis p. hebd. dieb. hor. defin.

A. F. POTT, Dr.

I. Publice 1) *grammaticam linguae Sanscritae*, Boppii grammatica minore usurus, docebit dieb. Merc. et Sat. h. XI. 2) *conspectum linguarum, quae vocantur, Romanicarum* dabit bis per hebd. dieb. Mart. et Ven. h. IV.

II. Privatim *introductionem generalem in studium linguarum* tradet *tum philosophicam tum historicam*, horis ternis dieb. Mart., Merc. et Ven. h. III.

I. E. ERDMANN, Dr.

I. Publice *de statu philosophiae germanicae inde a morte Hegelii* bis per hebd.

II. Privatim 1) *psychologiam* docebit libellum a se editum secuturus quinquies per hebd. h. IV. 2) *philosophiam religionis* tractabit quinis per hebd. lectionibus h. V.

H. BURMEISTER, Dr.

I. Publice *mastozoologiam* tractabit h. X. dieb. Merc. et Sat.
II. Privatim *zoologiam generalem* quotidie h. IX. docebit.
III. Privatissime sodalibus *seminarii physici* semel per hebd. hora commoda vacabit.

L. ROSS, Dr.

I. Publice semel p. h. *selecta Pausaniae capita* interpretabitur die Iov. h. XI-XII.
II. Privatim ternis p. h. scholis dieb. Lun., Mart. et Ven. eadem hora *historiam artis Graecorum* enarrabit.

C. H. KNOBLAUCH, Dr.

I. Publice *colloquia de rebus physicis et exercitia seminarii* moderari perget die Merc. h. VI.
II. Privatim *physices secundam partem* (lucis et caloris doctrinam) docebit experimentisque illustrabit dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. VIII.

H. GIRARD, Dr.

I. Publice *exercitationes oryctognosticas* die Sat. h. XII. moderabitur.
II. Privatim *geologiam generalem* docebit quinquies per hebd. h. XII.

G. H. HEINTZ, Dr.

I. Publice *de respiratione* disseret die Sat. h. XI.
II. Privatim 1) *chemiam organicam et physiologicam* demonstrationibus microscopicis experimentisque illustrandam quinquies per hebd. h. XI. 2) *metallurgiam* quater per hebd. dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. VII. matut. docebit.
III. Privatissime 1) *exercitationes analyticas disquisitionesque chemicas et anorganicas et organicas* in laboratorio chemico moderabitur hor. matut. et vesp. 2) sodalibus *seminarii mathematici et physici* chemiam tractantibus semel per hebd. d. Lun. h. VI. vacabit.

O. HESSE, Dr.

I. Publice 1) *exercitationes mathematicas* semel per hebd. hor. defin. moderabitur. 2) *de integratione aequationum differentialium* disseret dieb. Lun. et Iov. h. XI.
II. Privatim *calculum differentialem* quaternis per hebd. scholis h. XII. docebit.

b. Professorum extraordinariorum.

I. C. GARTZ, Dr.

I. Publice *applicationes calculi differentialis ad geometriam* bis per h. h. VI.
II. Privatim 1) *calculum differentialem* sexies per hebd. h. V. 2) *trigonometriam planam et sphaericam* quater per hebd. h. VI. docebit.

H. ULRICI, Dr.

I. Publice *systemata philosophica Fichtii, Herbartii, Hegelii et Schellingii* explicabit sing. per hebd. scholis d. Merc. h. V.
II. Privatim 1) *logicam* docebit quaternis p. h. scholis dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. IV. 2) *historiam philosophiae aevi Christiani* tradet, *praemissa praecipuorum Graecae philosophiae systematum synopsi,* quaternis p. h. scholis dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. V.

I. SCHALLER, Dr.

I. Publice *de principiis philosophiae naturae* hor. defin. disseret.
II. Privatim 1) *logicam* quinquies h. IV. 2) *aestheticen* ter h. V. docebit.

M. DUNCKER, Dr.

I. Privatim *res quae intra annos* 1786—1848 *gestae sunt* exponet quinquies per hebd. dieb. Lun., Mar., Merc., Iov. et Ven. h. XII.
II. Privatissime et gratis *exercitia historica* moderabitur.

R. PRUTZ, Dr.

I. Publice *de Schilleri vita et scriptis* disseret bis per hebd. dieb. Lun. et Iov. h. VI.
II. Privatim *historiam* tradet *poesis atque artis scenicae, quae fuerit apud Germanos ex antiquissimis temporibus usque ad hanc aetatem nostram,* quater per hebd. dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. III.

I. ZACHER, Dr.

I. Publice *artem metricam theotiscam* tradet semel p. h. h. VIII.
II. Privatim *carmen cui inscriptum est: „Der Nibelunge nôt“,* interpretabitur ternis vel quaternis p. h. scholis h. VIII.
III. Privatissime et gratis *exercitationes tum historiae literarum tum exegeticas atque criticas* moderabitur die Sat. h. VI.

c. Doctorum privatim docentium.

C. A. BUHLE, Dr.

Scholas suo tempore indicabit.

H. EISENHART, Dr.

Privatim *oeconomiam nationalem* quater per hebd. docebit h. III.

F. A. ARNOLD, Dr.

I. Gratis *chrestomathiam Arabicam* ab ipso editam interpretabitur semel p. h. hor. XI.
II. Privatissime et gratis *exercitationes Arabicas* moderabitur semel p. h. hor. def.

I. H. KRAUSE, Dr.

I. Gratis *Taciti Germaniam* aut *Ciceronem de officiis* trinis p. h. diebus h. V. interpretabitur.
II. Privatim *archaeologiam s. historiam artium apud veteres* quaternis diebus h. IV. docebit.
III. Privatissime *disputationes latinas de doctrinis veterum diversis* bis p. h. h. VI. vesp. moderabitur.

F. H. Th. ALLIHN, Dr.

I. Gratis *de eo quod honestum est, quod turpe*, disseret semel per hebd. h. adhuc defin.
II. Privatim *logicam* docebit ternis per hebd. h. IV. postmerid. dieb. Lun., Mart. et Merc.

CH. G. A. GIEBEL, Dr.

I. Gratis *de petrefactis formationes geognosticas designantibus* (librum suum: Gaea excursoria Germanica. Lips. 1850 secuturus) bis per hebd. disseret.

II. Privatim *exercitationes zootomicas practicas* moderabitur quater per hebd.

C. I. ANDRAE, Dr.

I. Gratis *de plantis fossilibus formationis tertiariae* disseret die Sat. h. II.

II. Privatim *geognosticam Germaniae constitutionem* explicabit dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. II.

RUD. HAYM, Dr.

Gratis *de Hegelii vita, libris, doctrina* disseret bis per hebd. h. IV.

C. S. CORNELIUS, Dr.

I. Gratis *meteorologiam* bis per hebd. h. III. docebit.

II. Privatim *mechanicen et doctrinam machinarum* tradet quater per hebd. h. XI.

G. F. HERTZBERG, Dr.

I. Gratis 1) *historiam antiquitatis inde ab antiquissimis temporibus usque ad Constantinum magnum* explicabit, praecipua gentium orientalium ratione habita, ter per hebd. h. III. 2) *historiam imperii Byzantini atque Turcarum usque ad Graeciae liberationem* enarrabit bis per hebd. h. III.

II. Privatim *historiam historiographiae,* quam dicimus, docebit semel per hebd. h. III.

E. L. DUEMMLER, Dr.

I. Privatissime et gratis interpretabitur *Liutprandi Cremonensis librum qui dicitur antapodosis* semel per hebd. hora defin.

II. Privatim explicabit *historiam reformationis ecclesiae saeculi XVI.* ter per hebd. dieb. Lun., Merc. et Ven. h. III. postm.

V. SCHOLAE LECTORIS PVBLICI RECENTIORES LINGVAS DOCENTIS.

H. G. HOLLMANN, Dr.

I. Publice *linguam Lusitanicam* docebit.

II. Privatim *linguas Francogallicam et Anglicam.* Nec deerit iis qui *Latine*, *Italice vel Hispanice* loquendi facultatem excoli volent.

VI. ARTIVM EXERCITIA.

I. *Historiam musices ecclesiasticae* publice tradet FR. NAUE, Philos. Dr. et Director musices. Idem docebit *artem vocum gravium et acutarum harmoniam in symphoniis regendi.* — *Harmonicen modorumque doctrinam* tradet FRANZ, Director musices. Idem *cursum practicum artis symphonicae* offert.

II. *Artem equitandi* in hippodromo regio docebit ANDRÉ.

III. *Artem rudibus batuendi* profitetur LOEBELING.

IV. *Saltandi artem* monstrabit WEHRHAHN.

VII. PVBLICA DOCENDI DISCENDIQVE SVBSIDIA.

I. *Bibliotheca academica* civibus huius universitatis patebit diebus Merc. et Sat. hor. I—III. itemque dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. X—XII. — *Bibliotheca Seminarii philologici* dieb. Merc. et Sat. h. I—II. — *Bibliotheca Hungarica* dieb. Merc. et Sat. hor. I—II.

II. *Theatrum anatomicum* et *Musea* tum *anatomicum* tum *zootomicum*, quibus accedunt *Meckelii collectiones anatomicae.*

III. *Hortus botanicus* et *Herbarium academicum.*

IV. *Nosocomia clinica*, 1) medicum, 2) chirurgicum, 3) obstetricium.

V. *Specula astronomica.*

VI. *Museum physicum* et *Ergasterium chemicum.*

VII. *Museum technologicum.*

VIII. *Museum zoologicum* h. I-III. die Mercurii aperietur.

IX. *Apparatus pharmacologicus.*

X. *Museum mineralogicum* iis, qui studiis mineralogicis iam operam dederunt, die Mart. h. III—IV. aperietur.

XI. *Collectionem imaginum aeri incisarum* die Iov. h. XI—I. inspiciendi copiam faciet ULRICI.

XII. *Museum monumentorum artium antiquarum* d. Merc. h. XII-I. inspiciendi copiam faciet ULRICI.

XIII. *Societatis Thuringo-Saxonicae* ad investigandas patriae antiquitates institutae apparatus et monumenta antiqua inspiciendi copiam faciet *Zacher.*

VIII. SEMINARIA.

1) *Theologicum.* Exercitationibus exegeticis Vet. Testamenti praeest HUPFELD, Nov. Testamenti THOLUCK, historicis IACOBI, dogmaticis MUELLER, homileticis et catecheticis MOLL.

2) *Paedagogicum.* Huic praeest KRAMER.

3) *Iuridicum.* Exercitationes iuris Romani moderabitur BRUNS, germanici iuris MERKEL.

4) *Philologicum.* Huic praeest BERNHARDY.

5) *Mathematicum omniumque disciplinarum physicarum.* Huic praesunt ROSENBERGER, DE SCHLECHTENDAL, BURMEISTER, KNOBLAUCH, GIRARD, HEINTZ et HESSE.

6) *Physiologicum.* Huic praeest VOLKMANN.

7) *Pharmaceuticum.* Huic praeest HEINTZ.

SCHOLAE HORARVM ORDINE DESCRIPTAE.


HORA.	I. THEOLOGORVM.	II. IVRISCONSVLTORVM.	III. MEDICORVM.	IV. PHILOSOPHORVM.
VI - VII.			*Vogel* path. et therap. special. [6]. *Loewenhardt* path. et therap. morbor. animi. [2].	
VII - VIII.	*Mueller* theol. pract. [6]. *Guericke* ep. ad Tit. et Timoth. [2]. *Idem* introd. in N. T. [4]. *Daehne* ep. Iacobi [2].	*Muther* ius hered. Rom. [4].	*Blasius* akiurg. [5]. *Idem* chirurg. spec. vulner. et hern. [1]. *Krahmer* medic. forens. [4].	*de Schlechtendal* botan. elementa [6]. *Roediger* de spe Messian. [1]. *Heintz* metallurg. [4].
VIII - IX.	*Mueller* theol. ethic. [5]. *Idem* de ethica famil. reip. et eccles. ratione [1]. *Dietlein* vit. Iesu Chr. consp. [2].	*Henke* ius crim. [6]. *Goeschen* ius Germ. priv. et feud. [5].	*Vogel* medic. theoret. [1]. *Schultze* osteol. et syndesmol. [1]. *Idem* anatom. pathol. [4]. *Pernice* encycl. et method. med. [1].	*Gerlach* introd. in philos. [3]. *Idem* metaphys. [3]. *Eiselen* de populat. [2]. *Idem* polit. partem ad oecon. nat. spect. [4]. *de Schlechtendal* de plant. med. et cibar. [4]. *Idem* demonstr. plantar. [1]. *Roediger* ling. Pers. [1]. *Idem* de spe Messian. [1]. *Knoblauch* secund. part. phys. [4]. *Zacher* art. metr. theot. [1]. *Idem* Nibel. nôt [4].
IX - X.	*Hupfeld* psalm. [6]. *Moll* theol. dogmat. [6].	*Pernice* sel. iur. priv. princip. capp. [1]. *Henke* encycl. et method. [4]. *Idem* sel. iur. crim. capp. [1]. *Goeschen* ius Germ. priv. et feud. [5]. *Merkel* encycl. method. et phil. iur. [6]. *Bekker* proc. crim. [4].	*Hohl* exercitatt. clin. [6]. *Schultze* osteol. et syndesm. [1]. *Reil* pharmacol. [6].	*Bernhardy* Taciti Annal. [3]. *Roediger* libr. Iobi [6]. *Burmeister* zoolog. gener. [6].
X - XI.	*Tholuck* evang. Ioannis [5]. *Idem* formul. docendi Ioann. [1]. *Moll* ep. ad Hebr. [4]. *Idem* ep. Petri et Iudae [2]. *Dietlein* ep. Pauli ad Rom. [5]. *Wichelhaus* evang. Matthaei [5].	*Pernice* ius publ. Germ. [5]. *Idem* ius feud. [1]. *Witte* pand. [6]. *Bruns* institutt. [5]. *Merkel* semin. iur. Germ. [1]. *Bekker* institutt. [5]. *Muther* pand. [6].	*Blasius* exercitatt. clin. [7]. *Schultze* anatom. compar. [4].	*Bernhardy* Plat. Symp. [3]. *Idem* Semin. philol. [2]. *Rosenberger* Calcul. integr. [5]. *Burmeister* mastozoolog. [2].
XI - XII.	*Iacobi* theol. symb. [5]. *Idem* hist. eccl. dogmatumque [1]. *Guericke* hist. eccles. partem prior. [6]. *Daehne* hist. eccles. partem prior. [6]. *Schwarz* introd. N. T. [4]. *Idem* de Schleiermacheri theol. [1]. *Moeller* dogmatum histor. [6].	*Pernice* ius gentt. [3]. *Idem* ius feud. [3]. *Witte* pand. [6]. *Bruns* hist. iur. Rom. [5]. *Merkel* ius eccles. [5]. *Bekker* hist. iur. Rom [5]. *Muther* pand. [6].	*Vogel* exercitatt. clin. [6].	*Eiselen* doctr. rer. ad aerar. spect. [4]. *Rosenberger* elem. geometr. analyt. [3]. *Idem* method. min. quadr. [2]. *Pott* gramm. ling. sanscr. [2]. *Ross* histor. art. Graec. [3]. *Idem* sel. Pausaniae capp. [1]. *Heintz* chem. org. et physiol. [5]. Idem de respirat. [1]. *Hesse* de integrat. aequ. different. [2]. *Arnold* chrest. arab. [1]. *Cornelius* mechan. et doctr. machin. [4].

SCHOLAE HORARVM ORDINE DESCRIPTAE.

HORA.	I. THEOLOGORVM.	II. IVRISCONSULTORVM.	III. MEDICORVM.	IV. PHILOSOPHORVM.
XII-I.	*Iacobi* hist. eccles. dogmatumque [1].	*Witte* ius Boruss. [5]. *Idem* ius fam. [1]. *Bruns* proc. civ. [4]. *Idem* exercitatt. semin. [1]. *Merkel* hist. iur. Germ. [5].	*Vogel* exercitatt. clin. [6].	*Leo* interpr. chrestom. Dietrich. [2]. *Blanc* comoed. Molier. interpr. [2]. *Idem* hist. et elem. ling. ital. [3]. *Girard* exercitatt. oryctogn. [1]. *Idem* geolog. gener. [5]. *Hesse* calcul. different. [4]. *Duncker* res inter a 1786 et 1848 gest. [5].
II-III.	*Hupfeld* archaeol. biblic. [4]. *Franke* artem catechet. [3]. *Idem* hist. art. catechet. [1].			*Leo* hist. pop. et imp. Germ. [4]. *Andrae* de plantt. fossil. form. tert. [1]. *Idem* geogn. Germ. constitut. [4].
III-IV	*Tholuck* theol. bibl. V. et N. T. [4]. *Hupfeld* elem. ling. Syr. [2].		*Loewenhardt* exercitatt. clin. psychiatr. [1].	*Pott* introd. gener. in stud. ling. [3]. *Prutz* hist. poes. et art. scen. [4]. *Eisenhart* oec. nat. [4]. *Cornelius* meteorol. [2]. *Hertzberg* histor. antiq. [3]. *Idem* histor. Byz. et Turc. [2]. *Idem* histor. historiogr. [1]. *Dümmler* histor. reform. eccl. [3].
IV-V			*Hohl* art. obstetr. theor. [6]. *Volkmann* physiol. experim. [4]. *Idem* physiol. system. nerv. [1]. *Krahmer* demonstr. pharmacol. [1]. *Loewenhardt* exercitt. clin. psychiatr. [1]. *Pernice* art. obstetr. theor. [6].	*Pott* consp. ling. Rom. [2]. *Erdmann* psychol. [5]. *Ulrici* logic. [4]. *Schaller* logic. [5]. *Krause* archaeol. [4]. *Allihn* logic. [3]. *Haym* de Hegel. vita etc. [2].
V-VI.	*Wichelhaus* introd. in canon. evang. [1].		*Hohl* morb. mulier. [4]. *Volkmann* physiol. experim. [4]. *Idem* physiol. system. nerv. [1]. *Krahmer* demonstr. pharmacol. [1].	*Hinrichs* aesthet. [4]. *de Schlechtendal* gram. et cyperac. fam. [1]. *Erdmann* philos. relig. [5]. *Ulrici* system. philos. Fichtii et al. [1]. *Idem* hist. philos. aevi Christ. [3]. *Schaller* aesthet. [3]. *Krause* Taciti Germ. [3].
VI-VII.	*Tholuck* encycl. et methodol. theol. [2]. *Iacobi* ep. ad Coloss. [2].		*Hohl* part. brach. praev. [2].	*Knoblauch* colloq. de reb. phys. et exercitatt. [1]. *Heintz* exercitatt. semin. [1]. *Gartz* applic. calc. differ. ad geom. [2]. *Idem* trigon. plan. et sphaer. [4]. *Prutz* de Schilleri vita et scr. [2]. *Arnold* exercitatt. arab. [1]. *Krause* disput. Lat. [2]. *Zacher* exercitt. hist. litt. et exeget. [1].

HORIS DEFINIENDIS.

SCHOLAE THEOLOGORVM.	SCHOLAE IVRISCONSVLTORVM.	SCHOLAE MEDICORVM.	SCHOLAE PHILOSOPHORVM.
Kramer hist. paedag. [3]. *Moeller* de Origenis vita et doctr. [2]. *Boehmer* doc. de Deo. (2). — Idem libr. Daniel. (3).	*Goeschen* de fontt. iur. Germ. *Bruns* proc. summ. *Merkel* de fontt. iur. Germ. *Bekker* exercitatt. exeget. *Muther* interpr. Ulp. *Idem* repetitor. et examinator.	*Blasius* operatt. ophthalmiatr. *Hohl* examin. de operatt. obstetr. *Vogel* diagnost. medic. *Reil* de medicam. clin.	*Allihn* de eo quod honest. est, quod turpe [1].


3 0112 105721549